

CAROLI IX. GALLIARUM REGIS:

cusi pace cum Hugonotis inita. Anno Christi
1570.



Um bellum in Gallia intestinum recrudesceat, & ab utraque parte nova subsidia colligerentur, non defuerunt, qui Regem ad concordiam hortarentur, bellum, dicentes, quod toties apparuisset extinctum, semper resurgere atrocius, cum maximo excidio & devastatione totius regni: quia si vel vinceret Rex, vel vinceretur, omnino ea victoria adversus subditos regios compararetur. Regios, adhuc, proventus omnino minui: vires quotidie debilitari: urbes exaniri, regiones devastari: præstare per clementiam omnia conservare, quam per pertinaciam perdere. Non etiam defuere, qui eam pacem subdolo animo esse concedendam suadebant, ut ita vires resumerentur. Rex pluribus auditis rationibus, cognitisque eversionibus & calamitatibus regni, cepit paulatim ad conditiones pacis animum flectere, quæ certis tandem conditionibus stabilita fuit. Sic Gallia, quæ multos jam annos propria arma in sua vulnera converterat: quæ utrinque externas copias ad devastationem patriæ acciverat: quæ omnes finitimas & longinquas nationes, per miserabilem suorum cladem commoverat, post superatas multas difficultates cepit à tantis miserijs aliquantulum respirare: *ding. fuisset felix, si quas conditiones ad respirationem complexa fuerat, easdem sincere ad conservationem jam propè parte felicitatis servasset, abundantiaq. publica causa extitisset. Com.*
Natalis.